




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538284-p0001-8

DFO



75355.

1686, 3

27

4

DIVINO AUXILIO
ET
SUPERIORUM INDULTU,
Dubia Juridica,
^{DE}
POENIS FOEMINIS MITIUS
INFLIGENDIS. *ex Leg. 6. ad Leg. Jul. pecul.*
DISTINCTIONE SPONSALIO-
RUM,
CONSILIARIIS FURUM,
JURE MARITI EX ADULTERIO
UXORIS,

S U B P R A E S I D I O
V I R I

Nobilissimi, Excellentissimi, Consultissimi,

DN. CAROLI FRIDERICI LAU,
J.U.D. & P.P. Advoc. quoque Aulici famigeratiss.

Fautoris & Praeceptoris devenerandi,

Publico Examini submittit

JOHANNES HENRICUS Kahnisch /
Reg. Boruss:

Ad diem

Fehruar. An. M D C L X X X V I .

Horis Locoque solitis,

REGIOMONTI,
PRAELO REUSNERIANO.



OI Inclutæ Reipubl. Lœbnicensi
Patribus Conscriptis,

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Consultiss, Prudentiss.
Experientiss.

DOMINIS

DN. CONSULI, Mœcenati,

DN. PRO-CONSULI,

Fautori,

Cœterisque Magni Nominis

VIRIS

DN. SENATORIBUS,

Patronis, Benefactoribus, ac Studiorum
fusorum Promotoribus ad cineres colendis,

Et

Parenti Venerando,

Clariſſimo, Prudentiss. Experientiss.

DN. JACOBO Ranicſch/ Senatori

& Camerario filiali reverentiâ & obedientia

ad Rogum usque multum colendo,

Dubia hæc

animo non dubio

In debitæ observantia & amoris signum, annexo calidissimo
omnis proſperitatis Voto, sub initium Novi Anni,
ſtrenue loco, offerre & consecrare voluit, debuit

RESPONDENS.



D U B I U M I.


 TSi de essentia LLgum sit, ut generaliter & in
 commune de negotiis hominum statuatur, l. 8.
 de LL. s̄apenumero tamen circumstantiæ, quæ
 etiam cum minimæ sunt, rem variant, & novam
 actioni superinduunt formam, juxta l. 26. §. 12.
 de cond. indeb. & c. 9. de prob. ut in mitiorem partem incli-
 nantes, majorem æquitatis, quam stricti juris rationem habe-
 mus, postulare videntur l. 8. C. de Judic. & c. ult. de transact.
 Quod, ut in omni judicij parte usu venit, ita in pœnarum infli-
 ctione maximè attendendum, ob periclitantem sub iis creaturæ
 nobilissimæ, quæ DEum in imagine refert, vitam & famam;
 Ut adeo in constitutione Crimin: Caroli V. Judices non sine
 causa ad peritiores s̄epissimè JCTos remittantur. Menocb. de ar-
 bitr. cns. 324. Colerus decis. 150. Gail. o bſ. 2. 110. n. 31. Neminem
 itaque mirari subeat, cur l. 6. ad L. Jul. peculat. Mitius cum
 fœminis agere jubeat; Et Tiraquell. leniendas pœnas sat libe-
 rē, propter sexum, pronuntiet. Hoc siquidem infirmitas mu-
 liebris, quæ non corpus tantum, sed & animum afficit, teste
 Farinac. quæst. 98. n. 10. omnino postulat. Et quemadmodum
 ea debilitate fœmina est, ut facile labi possit; ita eam vellevio-
 ris pœnæ delicata cogitatio à peccando absterret Clar. quæst. 60.
 n. 2. & seqq. Huic ergò considerationi causam ~~negligentia~~ debent l. 6. l. 38. §. 2. ad Leg. Jul. de Adulter. l. 5. §. 1. & 3. C. ad L.
 Jul. Maj. l. 23. C. de Nupt. Nov. 134. c. 9. & 10. junct. Autb. Sed bo-
 die l. ad L. Jul. de adult. & l. 30. C. eodem & c. plures denique
 Juris Civilis constitutiones, quæ in favorem mulierum latæ re-
 periuntur. Absit enim ut ex ejusmodi LLgibus cum Anton.
 Fabr. l. 8. conject. c. 11. Tholof. Syntagma: l. 47. c. 21. n. 2, & Bodin.
 l. 1. de Rep. c. 3. n. 17. concludamus; Autores earum plus æquo

uxorios fuisse, & ambitionem Augustarum Leges eas similesque facilitati Imperatorum expressisse. Nam præterquam quod hæ conjecturæ sublimitatem Majestatis principalis lædant, cum nulli privato liceat iniquè de Principe quovis, etiam hostili, sentire; idque quia jura Principum sublimiora sunt, quam quæ à privato intelligi possint: Considerare utique talium venditatores debuissent, fragilitatem, sexus lenitatem hujusmodi omnino desiderare, cum mulieres propter obsequia, quæ maritis præstant, partus item periculum liberorum denique procreationem & educationem. *l. 12. §. 1. C. que pot. in pign. bab.* multis omnino captionibus suppositæ, multorumque insidiis expositæ sint *l. 2. §. 3. ad SCtum Vellej.* Et adeò fragiles reperiantur, ut adversus propria commoda plerumque laborent. *l. 4. C. de Sponsal. juncta Nov. 162. c. ult.* Accedit, quod aliarum quoque gentium legibus & moribus sexui fragiliori semper succurratur, & fœminæ quidem, ubi præstantiâ sexûs attenditur, deteriores Maribus, ubi verò ejusdem infirmitas consideratur, melioris conditionis ubique æstimentur. *Vid. Gædd. ad l. 1. de V. S. Struvius Syntagm. Juris exercit. 3. Tb. 2. Grotius de Jure B. & P. l. 3. c. 11. §. 9. P. L. R. l. 1. Tit. 25. Art. 13. & l. 2. t. 6. art. 9. §. 6. Constit. Casim. de Anno 1347. & 1368. & Constit. Sigism. de Anno 1519.* Intempestivæ equidem misericordiæ vitium nonnullis istarum Constitutionum, *Novella imprimis 134. c. allegato*, imputari posse, negare in totum haut licet, & omnino citatam Novellæ æquitate superant, *Jus Saxon. Carpz. pr. Crimin. p. 4. c. 19. def. 6. 7. seqq.* Jura Hassæ, & Palatinatus, *Heig. p. 2. quest. 29. n. 75.* Jus item nostrum *P. L. R. l. 6. t. 6. Art. 1.* quæ non matronali tantum pudicitia & connubiorum sanctitati, optimè consulunt, sed Juri etiam Divino ac rectæ rationi respondent, *Lev. 20. Deuteron. 22.* Interim quia hoc non obstante plerumque gentium statuta bodienum dictæ Nov. constitutione longè adhuc mitiora reperiuntur: *Vid. Mev. ad Jus Lubecens. p. 4. t. 6. art. 2. Timquell. leg. conrubb. 13.*

n. 22,



x. 22. Faber. ad §. 4. Inst. de publ. Judic. Canst. Caroli Art. 120.
Gudel. de Jure Noviss. l. 5. l. 18. &c. Quis non advertit debilitatem
& lubricitatem fœminarum dignam Legislatoribus visam, cui
majori misericodiâ & studio subvenirent §. 4. J. ad SCtum Ter-
tull. & in specie Nov. 134. c. 10. latum partim ob fragilitatem
mulierum, qua plerumque fit, ut non tam sponte, quam blan-
ditiis, atque auro adulterorum corruptæ, peccent, partim affe-
ctione clementiae & *καρογηλία* quadam Salvatoris, qui adulter-
ram condemnare noluit. **Joann. 8.** Cœterum hic favor non eo
usque extendendus est, ut per eum peccandi impunitas fœmi-
nis proponatur; Verbum enim, *si quis*, ut in omnibus infini-
tæ significationis est, ita in pœnibus quoque tam mares quam
fœminas denotat, l. 1. de V. S. Et sanè cum iniqua mulieres
quoque moliri possint, imò quædam tranquillitatem ac lenita-
tem sexus dolis pessimis & crudelitate sævissimâ supergressæ re-
periantur, cur excipiantur à pœnis, aut moderatius semper tra-
ctentur: Quin potius ubi eadem reperitur ratio, ibi idem etiam
Jus statuatur, & crescente muliebris delicti gravitate, pœnæ quo-
que augeatur ultio. **l. 40. ad Leg. Aquil.** Hinc itaque in edicto
de albo corrupto fœmina etiam continetur, **l. 7. §. 1. de Jurisd.**
in L. item Aquilia. **l. 2. §. 9.** in SCtô Silanian, **l. 1. b. tit. in l. un.**
C. de rapt. **l. 5. C. ad Leg. Jul. Majest.** imò generaliter omni verbo
masculino in pœnibus comprehenduntur etiam fœminæ, ubi
crimen est ejusmodi, ut in fœminam cadat, & ubi malitia exces-
sit imbecillitatem sexus.

DUBIUM II.

Distinctio Sponsaliorum, qua alia dicuntur de futuro, alia
de præsenti esse, Juri Civili planè incognita est, & seculo de-
mum XII. post N.C. ab Alexandro III. Arg. c. 3. X. de Spons. duor.
recepta, postea ab Urbano III. cap. ult. de conjug. lepros. Inno-
centio III. cap. 22. de sponsal. & Gregorio IX. juxta c. pen. eodem

A 3

con-

confirmata fuit Aequipollet ei distinctio Augustini aliorumque
Patrum, in Sponsalia, secundum fidem consensus, & secundum
fidem pactionis contracta c. 9. 10. Et seqq. c. 2. quest. 2. eorumq;
diversitas eleganti simili declaratur, à Dn. Hahn, ad VVesenbec. ti-
tulo de sponsal. n. 3. differunt enim hæc duo ut pactum de venden-
do & ipsa venditio; matrimonium verò differt à Sponsal. de præ-
senti, ut venditio traditione consummata, ab ea, quæ nudo con-
sensu perfecta est. A B. Dn. Lutherò quidem impugnatur hæc
distinctio, tractatu von Ehesachen / idque potissimum ex com-
muni modo loquendi apud Germanos, quibus perinde est, sive
dicant: Ich wil dich zur Ehe haben / sive simpliciter: Ich nehme
dich zur Ehe; Ultroque enim casu censentur pure & absolutè
Sponsalia de præsenti, sive nuptiæ contrahi. Verum Domini
Lutheri sententia non obstante, probandum dicimus hanc di-
stinctionem, ita tamen, ut eam non verborum nuda differentia
constituat, aut de præsenti simpliciter dicantur, quæ sunt conce-
pta verbis in præsens tempus, de futuro vero quorum verba in
futurum sunt directa; sed longè alia & magis propria ratione
per Sponsalia de futuro denotamus, tractatus de futuro matri-
monio, quorum promissio consensum quidem continet non ta-
men purum & absolutum, sed cum tractu temporis; ita enim in
omnibus aliis humanis negotiis vel statim firmiter contrahim-
us, & nos obligamus vel promittimus tantum, quod aliquan-
do tale negotium contrahere velimus. Et in hoc nobiscum con-
sentit ipse Luthers, dum tractatu allegato concedit, posse aliqua
Sponsalia, de futuro dici, si nempè contrahantur, sub adjecta
conditione temporis, aut alia; v.g. si vidna ad aliquem dicat:
So du warten wilst bis mein Traur-Jahr zum Ende/ wil ich dein
Ansuchen nachmals an- und dich zur Ehe nehmen. In his siqui-
dem verbis non est plena & libera voluntas, cum proco interim
liceat alio animum convertere. Quapropter etsi Lutherò lu-
bentes largiamur, Sponsalia, nudo respectu verborum in ea quæ
de

de futuro aut præsenti sunt, nimis subtiliter distingvi, & talem differentiam vulgus minimè capere, sed ejus prætextu multa legitima matrimonia dissolvi posse, unde nec ministri verbi Divini attendunt, sive quis in copulatione dicat: accipio, sive accipiam, Ich nehme oder ich wil haben / ipsam tamen distinctiō nem velex ipsius Lutheri mente legitimam, & apud Protestantes quoq; receptam statuimus; ita ut Sponsalia de futuro dicamus pactum de consociatione consensu conjugali ineunda. Sponsalia de præsenti vero consociationem consensu conjugali simpliciter ac pure initam, cum pacto, ea rite porro consummandi. Sponsalia ergo de præsenti sunt matrimonium Actu primo quoad consensum & vinculum, Sponsalia verò sunt, respectu executionis & copulae, quemadmodum eadem planè ratione Sponsa de præsenti uxor est, in respectu ad Sponsum de futuro, Sponsa verò ratione actus externi, qui consistit in Hierologia & conjunctione carnali. *Covarr. de Sponsal. p. 1. c. 1. n. 6.*
Beust. de jur. connub. p. 1. c. 7. Approbat id ipsum praxis nostra, ut vel ex eo solo advertere licet, quod sponsalia de futuro contrahere etiam possint impuberes, imo pro impuberibus Parentes, quod tamen de sponsalibus de præsenti nemo asseverabit. Ita quoque sponsalia de præsenti non dirimuntur regulariter præterquam ob eas causas, quæ matrimonium dissolvunt, nisi capitales ac planè irreconciliabiles inimicitiae, vel aliæ gravissimæ causæ dissensum etiam mutuum admittendum sfadeant; Sponsalia de futuro verò simpliciter rumpuntur mutuo dissensiū, lapsu temporis & per contracta sponsalia de præsenti posteriora. *c. 1. de sponsa duor. P. L. R. l. 2. t. 1. a. 5. § 6. a. 3. § 2. § tit. 3. a. 1.*

DUBIUM III.

Intricata in Jure quæstio est, an & quatenus consilium obliget? & regulariter non esse obligatorium statuitur, cum liberum cuique sit, apud se explorare, an expedit consilium, & quia actus

actus non debent operari ultra intentionem agentis, l. 19. pr. de
reb. cred. l. 47. de R. J. unde quemadmodum, qui consulit non
vult alterum sibi obligatum, ita nec id censetur agere, ut ipse al-
teri obligetur, & propterea consilia amicitiae tantum adscribi,
necessitate autem non possunt, Carpz. Jur. For. p. 2. Const. 18.
Def. 1. & seqq. Menoch. de Arbit. l. 2, cas. 94. n. 26. & seqq. His
tamen non obstantibus, dantur casus oppido multi quibus con-
silium mandati vim habet, & instar mandati contractum repu-
tatur, Sic enim consilii fraudulenti & inducendigratia suppe-
ditati semper est obligatio. l. 7. §. fin. & leg. seqq. de dol. mal. de-
finitè conceptum consilium obligatorium est, §. 6. l. mandat.
obligat quoque consilium datum alias non contracturo l. 32. co-
dem, vel quod sui lucri causa consulens dixit, cum hoc in casu
præsumatur dolus; itaque ex suo consilio conveniri eo modo
possunt proxenæ, die Mäckler und Unterhändler. Strauch. de
Decoct. p. 2. quest. 7. pr. n. 33. seqq. Nec minus consilium Patris
pro filio, aut Domini pro institore vel famulo obligationem pa-
rit, imò in cambiis plerumque, & inter mercatores facile ex con-
silio obligatio nascitur, quæ omnia tamen cum suis limitationi-
bus & ampliationibus intelligi volumus, vid. Rutger. Ruland. de
commissar. p. 2. l. 2. C. 14. Hering. de fidejuss. C. 18. Kæppen decis.
36. n. 9. & seqq. Præterea notamus, dicta tantum obtainere in
contractibus; nam si delictum consulatur, consulens obliga-
bitur, non quidem ei, cui consilium datum est, ad evincendum,
sed isti, in cuius perniciem consuluit, ad damni reparationem
& Reipubl. ad pœnam, L. 5. C. de accusat. Qui enim ad actum
quo nocitum aut peccatum fuit, vel aliquid operæ realis contu-
lit, vel ut susciperetur, antecedenter effecit, vel in partem ali-
quam emolumenti venit, pro causa damni, & pro ipso peccante
habetur. Qui verò instar superflui, tantum facto accessit, &
ad illud vel partem ejus momenti nihil attulit, licet causa actus
reputari non possit, loco tamen accessorii, & quasi instar causæ
minus

minus principalis est, *Grotius de J.B.* l. 2. c. 17. §. 6. & seqq. & c. 21.
§. 1. Patetq; adeo in delictis consilium nunquam esse sine obliga-
tione, ubi tamen non incongruè *Dn. VVesenb.* ad §. 6. I. man-
dat n. 2. & 3. statuit, talem consulentem magis obligari ex de-
lictio quam consilio; qui enim consulendo malitiam auget, de-
linquens utique dicendus. l. 1. §. 4. *de serv. corr.* Melioris de-
clarationis ergo, dicta applicare placet ad consiliarios furum,
qui fures ad furti perpetrationem instigarunt, & consiliis fur-
tum facilitarunt. Enim verò lubentes quidem largimur, ut in
omni criminum & pœnarum materia, ita hic vel maxime di-
scretioni & prudentiæ judicis multum tribuendum, cum, qua-
tenus immediate ab aliis perpetratum crimen alteri imputari
possit, determinare gravissimum sit; interim ut leges quascun-
que generaliter, tantum concipi notum est, sic non minus re-
gulis generalibus casum hunc includi & decidi posse, speramus.
Primò videlicet distinguimus inter consilium nudum sive sim-
plex, & illud, quod cum persuafione, inductione, & instructio-
ne conjunctum est; Prius, si quis v. g. de paupertate conque-
rentem, aut alium generaliter tantum hortetur, ut ad furta se
applicet, in foro humano complicitatem furti operari non pot-
est, licet extra pœnam non sit, & mulctam ad minimum merea-
tur l. 30. *pr. de furtis.* l. 16. *pr. de pœnis;* posterius consilium,
puta, si quis modum furtū perpetrandi suggesterit, ostendendo,
qua via in conclave penetrandum, ubi res amovendæ positæ,
ubi commode latendum, quo tempore furtum executioni
mandandum, furtum redolet, maxime, si idem qui consuluit,
opem etiam non quidem furto proximam (nam is citra omne
dubium propriè & verè fur est) sed remotiorem præsttit, ut,
si instrumenta suppeditaverit, paulo antequam furtum fieret,
exploratione dolosa, an omnia adhuc, eo quo fuerant loco
haberentur, speculatus est, & furibus retulit, aut furibus etiam, ut
instar honestorum virorum, apud ipsum, donec commoditas

B

furandi

furandi offerretur, commorari extra suspicionem furti possent permisit, l. 54. de furt. l. 7. ad Legem Pompej. de paricid. Neque distingvimus, utrum consilium cum ope conjunctum, an verò nudum tantum fuerit, nam hoc posterius etiam, cum instructivum est, furti actionem parere, & verba ope ac consilio, in §. 11. l. de furt. l. 30. & 50. ff. eodem. & alibi passim, non conjunctim sed separatim accipienda esse intrepide asserimus. vid. VVesenb. ad tit. de furt. n. 11. Hahn. ibid. Carpz. prax. crim. p. 4. c. 40. def. 3. Mitiori itaque sententiæ exiguus hic locus erit; Ita siquidem clementiæ laudem affectare debemus, ne severitatis gloria pereat, hominum malitia augeatur & improbi ad scelera invitentur. l. 51. ad L. Aquil. Accedit quod is, qui alium de commoditate furandi instruit, pro fure quasi doméstico habendus sit, cum ejusmodi homines occasionem querere soleant, quo Patrisfamiliâs aut alicujus de familia notitiam sibi parent, & arcana domestica explicantur, quæ postea furibus expondere scelus haud putant; hodierna verò Praxi quia in fures domésticos, in Gallia, Anglia, & ubique ferè locorum propter perfidiam & difficultatem cavendi severius animadvertisit Grænew. de leg. abrog. ad tit. de furt. quomodo ultra incentores, instigatores & quasi Praeceptores furum à poena ordinaria, supra expositis circumstantiis concurrentibus liberandi sint, non video, sic enim furti & servi corrupti tenetur, is quoque qui servum sollicitavit, ut Domino quid auferret, licet servus id non fecerit, sed Domino rem aperuerit. l. 20. C. de furt. Tantum est in Jure odium erga sollicitatores hominum genus pessimum. Sic & Gellius noct. attic. l. 11. c. 18. n. 19. refert, furem à Sabino judicatum fuisse, qui, cum fugitivus coram Domino fortè transiret, togam prætendens, ne videretur effecit; qui tamen actus, tanquam furto posterior levior est instructione, furtum antecedente, promovente & quasi elicente. Ulteriorius distinguimus, an consilium ejusmodi datum dolo, an verò per

per lasciviam, ut Germani efferunt, den andern zu vexiren/ und
ihm einen Possen zu reissen; prius crimen & actionem furti pa-
rit, posterius tantum producit actionem in factum, qua consu-
lens tenetur quidem ad reparationem damni, sed non de fur-
to; Licet enim malitiis hominum per ejusmodi consilia non
sit indulgendum, furtum tamen sine affectu furandi non com-
mittitur. Pari ratione distinguendum putamus, an consilium
ejusmodi furtum actu subsecutum, an non; priori casu est con-
silium punibile, posteriori vero consultatores furti, si consilium
mutarint, & pœnitentia ducti, furtum impediverint, malum-
que propositum magistratui, aut Domino, rerum furto auferen-
darum detexerint, extra pœnam constituuntur, cum pœnitentia
purgarint quasi reatum; quod si per eos non stetit, quo
minus nociva intentio per furem in actum duceretur, & o-
mnia à parte ipsorum requisita obsevarunt, carcere vel aliter
leniori pœna in terrorem aliorum coëcentur. Sunt qui aliter
adhuc distinguunt, an consilium sit datum ei, qui alias non erat
commissurus furtum, an isti, qui jam furtum meditabatur; *Vid.*
Menoch. de arb. judic. quest. 351. sed hanc distinctionem simpli-
citer non probamus; licet enim prior quia corrupit alias non
peccaturum improbior sit, posterior tamen exinde nequit ex-
cusari à furto, sed, quia instructione causam furto dedit, furtum
etiam ipsi imputandum est. Ultimo tandem quoad pœnam
differentiam facimus; Antiquitus enim, qui consilium dede-
rant, furti tantum nec manifesti tenebantur, nisi superveni-
rent circumstantiae factum aggravantes. *Bartol. ad leg. 35. de*
furt. Hodie vero simplex consilium extra ordinem coëcer-
tur, cum taliter consulens, quia ad pravum facinus nihil contu-
lit, pravam tantum voluntatem, non ipsum facinus luere pos-
sit; Consilium qualificatum autem, si supra recensitæ circum-
stantiæ in eo, pœnam ordinariam parit, juxta communes juris
regulas: *quod quis per alium facit ipse fecisse dicendus est;* Item:

nōstra actio habenda est, cuius executionem alteri injunximus,
l. i. §. 1. de eo per quem factum erit Grot. loc. cit. alias pœna ar-
bitraria fustigationis, relegationis, carceris, multæ, &c. locum
in eo habent, prout magis vel minus tales consultatores delicto
se implicarunt. Ast, qui de furto quantum juxta constitutio-
nes aut consuetudinem ad infligendam suspendii pœnam suf-
ficit, participarunt, eadem qua ipsi fures pœna indistincte affi-
ciuntur, cum non consiliarii amplius aut auxiliatores, sed socii
furum dicendi sint *Const. Crim. a. 177. Sächs. L. R. l. 2. a. 13.*
P. L. R. l. 6. t. 7. art. 4. § 5. Jur. Culm. l. 5. p. 2. tit. 10. c. 5. Specia-
liorem horum omnium determinationem, cum circumstantiæ
rem admodum varient, discursui cathedrali reservamus.

DUBIUM IV.

Licum quidem fuit LLbus Romuli & XII. Tabularum
marito, deprehensam in adulterio uxorem occidere, testanti-
bus verbis Catonis apud *Aul. Gell. l. 10. noctium attic. c. 23.* sed
hanc severitatem Lex Julia mitigavit, & viro quidem adulter-
rum domi suæ in flagitio prehensum necare permisit, uxorem
vero neutquam, ne nimio caloris & præcipitantiæ impetu fa-
cilius æquo statueret maritus, cuius in executionem deducti
sera eum post premeret pœnitentia, *l. 22. §. ult. Et l. 24. ad Leg.*
Jul. de Adult. Justinianus deinde *Novella 117. c. 15.* Jus mariti
quoad adulterum auxit; at ratione uxorii nihilo plus Lege Ju-
lia permisit maritis, cum vel convictas adulterii conjuges lenius
coercendas statuerit, ut *Dub. l. à nobis probatum.* Quod si
interim impetu doloris victus interfecisset maritus uxorem in
flagrantii adulterii crimine comprehensam, Lege Julia, & Justi-
niani constitutionibus remissum ei fuisse ultimum supplicium,
& extraordinariam pœnam dictatam, certum est *l. 38. §. 8. ad*
Leg. Jul. de adulter. l. 4. Et auth. si quis. Cod. eodem. ut tamen
lucrum dotis simul amitteret, propterea, quod maluisset in-
consulto

consulto dolore occidere, quam accusare, *argum. l. 10. Solut.*
Matrim. Jura moderna, & mores nostros quod attinet in Ger-
mania per *Constit. Crimin.* a. 142. & Polonia juxta *D. Dresner.*
l. 3. t. 21. in fine. impune licet marito adulterum cum adultera
deprehensum occidere, idemque apud Gallos, Hispanos, Belgas,
Italos &c. observatur. *Christin. ad leg. Mecklin.* t. 2. a. 13. n. 19.
Autumn. ad all. l. 4. Matth. ad tit. de adult. cap. 3. in fine Grot.
Isagog. l. 3. p. 33. in fine. cum tamen moribus harum gentium
adulterii pœna magis civilis quam criminalis sit; *Grænew. ad*
§. 4. Inst. de publicis Judiciis. Et quamvis *Molina de J. & J.*
tom. 4. tract. 3. disp. 99. duritiem harum legum excuset, dicendo
eas non permettere talem cœdē approbativè, sed negativè tan-
tum, pœnam nempe homicidæ non decernendo, idque par-
tim ob nimium dolorem, & injuriam mariti, partim, ut homi-
nes à tanto flagitio & irroganda maritis ignominia abstineant:
Æquius tamen putamus sentire, *Bachov.* qui *ad VVesenb. tit. de*
adult. n. 20. in fine, tales leges & consuetudines pietati Christia-
næ contrarias, & ideo è Rebuspubl. exterminandas dicit. Sem-
per enim vindicta ejusmodi magistratibus tutissime committi-
tur, & uti pœnam reliquorum maleficorum, quæ ab uxoribus
aut liberis perpetrantur, non maritis & parentibus sed judicibus
exigere licet, ita cur aliud in adulteriis obtinere debeat, ratio
nulla, *l. 176. de R. J. l. 7. ad Leg. Jul. de vpriv.* dari potest. Ideo-
que magis hoc in passu probanda veniunt, *Jus Prutenicum &*
Jura Saxonica, quæ maritum uxorem adulteram vel adulterum
deprehensorum in crimen occidentem, ab ordinaria pœna gladii
liberos quidem pronunciant, cum justum dolorem temperare
difficillimum sit, planè verò impunitos esse non sinunt, sed
extraordinaria & arbitraria pœna mulctæ, carceris, relegatio-
nis, fustigationis, &c. pro varietate circumstantiarum coēcent.
P. L. R. l. 6. tit. 5. art. 4. §. ult. & art. 5. §. 11. Jus Culmense l. 5. p. 2.
t. 7. c. 15. Carpz. def. for. p. 4. c. 10. def. 8. Et certè, si dicendum

quod res est, leges vindictam ejusmodi indulgentes, securam conscientiam non reddunt, cum non simpliciter deprehensos occidere jubeant, sed propter doloris duntaxat magnitudinem, si cœsi fuerit, pœnam non interrogent; Accedit, quod in ipsa defensione non liceat protectionem extendere ultra periculum; & ideo si stupratorem violentum interficiat virgo, id quidem impune fert, sed in conscientia non excusatur; quanto minus ergo maritus adulterum occidens excusabitur? Primo enim non est defensor sed insultator & aggressor, dum vitam non defendit, quippe quæ extra periculum est, honorem verò defendere nequit, quia eum facto uxoris se jam amisisse putat, adeoque ad reparationem tantum ejusdem & pœnam injuriæ via juris agere potest; Deinde adultero ejusmodi occiso superinducitur æterna damnatio, versatur enim in re illicita, & propterea in periculo malorum inde sequentium, hoc vero contra charitatem est, ut ob putativam ignominiam, quæ penes ipsum nulla est, sed uxorem tantum sequitur *l. 22. de his qui notantur infamia, l. 14. § 16. eodem.* morti æternæ alter subjiciatur. Hoc que eo magis verum est si uxor adultera hoc modo occidatur, quæ enim caro de carne mariti, imo una cum eo caro est, quicquid patraverit eo usque tamen maritali affectione privanda non est, ut periculis æternorum cruciatuum subjiciatur. Verum quidem est, famam & vitam pari passu ambulare, sed hoc tantum intelligendum est de vita civili, non de naturali, multo minus æterna. Concedendum quoque est, tales maritos plerumque abominationi & ludibrio esse, sed hoc tantum opinione vulgi fit, cum contra viri honesti & cordati uxoris delicto gravatum, dummodo à parte ejus omnis culpa absit, infelicem potius & commiseratione dignum censeant, quam ut macula & ignominia notatum reputent, *arg. l. 14. § 16. C. ex quibus causis infam.* Ex dictis facile apparebit, excusari à pœna homicidii non posse, qui, cum uxor ei aperuisset, quod solli-

sollicitaretur ad adulterium, jussit eā amorem fingere, ac locum
& tempus adultero determinare, post superveniens hunc inter-
ficit. Nam primo certus fuit, adulterium non esse committen-
dum, dein sat temporis habuit, ut Magistratui rem denunciaret.
L. 25. pr. ad L. Jul. de adult. imò deprehensum moderatè pro
qualitate intentatae injuriæ coercere potuisset, quod ei suffecisset,
quippe non actu sed intentione tantum lælo. Pariter nec il-
lum excusamus, qui de conventu adulteri & adulteræ commo-
ne factus, iter simulat, & interato superveniens occidit depre-
hensos. Tempus enim quod impendit expectando, donec con-
venirent, sufficiens ei fuit, ut interim adiret Magistratum, & ju-
re experiretur. Quanto minus itaque à pœna Parricidii excu-
sabitur, qui uxorem suspectam tantum de adulterio nullius ve-
ro criminis convictam, maximè, si cum ipsa jam per aliquod
tempus ei non benè convenit, aut invitam forte duxit, domi
suæ, solam, sine adultero, aut adulterii indiciis & præsumptioni-
bus deprehensam, obtruncat. Hic enim nec injuria, nec ju-
stus & gravis dolor, nec primus & difficulter frenabilis impetus,
aut ullus aliis actus prætendi potest, propter quem delinquens
à pœna ordinaria excusat. Certe, si probationes in judicio
adulterii gravissimæ sunt, & evidentissimæ, imò palpabiles, ut
ita loquar, requiruntur, nuda conjectura, aut simultas tale homi-
cidium nihil quicquam qualificare poterit. Nec juvabitur reus,
si forte post factum commissum uxor occisa non gravetur tantū,
sed per testes omni exceptione maiores, per documēta, per con-
fessionē adulteri, aliasq; probationes irrejicibles adulterii con-
vincatur, sufficit etenim eo tempore, cū factū admitteretur talia
non adfuisse, nec uxorem in reatu deprehensam esse. Et quæso,
quis homicidium necessarium diceret, cum quis occidit, qui eum
nec læsit, nec aggressus fuit, si post cœdem probetur quod ag-
gredi voluerit? Tale factum post emergens in defensione &
moderamine inculpatæ tutelæ neminem constituere valet;
par hic ratio est.

DEO SIT GLORIA!

Quid cautus faciat Judex exponis Amice;
Te Themis officiis destinat inde suis.

*Clare docto Domino Autori, Auditori per industrio
cum voto felicissimorum successum
gratulabatur*

P R A E S E S.

Madrigal.

Ge kommt es / wehrter Freund! daß er das Grauen-Volk
verstreitet?
Ists etwa dero Huld / so ihn zu dieser Pflicht geleitet?
Es kan wol etwas seyn. Man saget sonst im Scherz :
Die stillen Wasser pflegen oft zu haben tiefe Gründe.
Doch düncet mir / daß Ihm mehr die Schwachheit geh' ans Herz.
Er sieht auffs blosse Recht. Den Schwachen muß man helffen.
Ich stimme damit ein. Er fahre nur so fort!
So wird die Pallas bald / aus ihrem Schatten-Ort/
Ihm senden einen Brantz / den man um seine Stirne windet
Und denn so soll mein Kiel sich etwas höher schwingen/
Und den belobten Fleiß bis an die Wolken bringen.

Seinen werhesten Freunde setze dieses aus
verbündener Schuldigkeit

D. Brandes.

• 8 (0) 90


Königsberg, Russ., 1686-94



Farbkarte #13

B.I.G.

Black	
3/Color	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



1686, 3
27 4
AUXILIO
ET
IM INDULTU,
JURIDICA,
DE
EMINIS MITIUS
IS. ex Leg. 6. ad Leg. Jul. pecul.
ONE SPONSALIO-
RUM,
IIS FURUM,
EX ADULTERIO
ZORIS,
RÆSIDIO
VIRI
ellementissimi, Consultissimi,
FRIDERICI LAU,
quoque Aulici famigeratiss.
æceptoris devenerandi,
Examinis submittit
HENRICUS Rahnisch /
eg. Boruss:
ar. An. M DCLXXXVI.
Locoque solitis.
GIOMONTI,
REUSNERIANO.